



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Leopoldvm Medicevm, M. Dvcis Hetrvriae Fratrem. Præsentit gaudium,  
quod percepturus est, cùm addetur illi sacra Purpura. Ode X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**



Tu Cyprin aureâ barbito dic auream ,  
 Aurea Virgo : tuas  
 Gradiue, partes concinam .  
 Quin ergò prodis ? heu ! quid infelix preces ,  
 Verbaquè mando Notis ?  
 Quin, Virgo, prodis, ac tuam  
 Blando Menalcam cingis amplexu, chelys  
 Sollicitasquè fides ,  
 Cannauè ludis Attica ?  
 Iungamus artes : voluit ah quoties meas  
 Pascere Phillis oues ,  
 Canentis os vt cerneret ?  
 Et, iuro, cernet, si diù Chryse negat ,  
 Phillida connubij  
 Chryse relicta fœdere  
 Mihi ipse iungam pastor, ac sociam eligam ,  
 Pane fauente, thori .  
 At ô Deorum maximi ,  
 Tegeæ, tuquè Phœbe, quorum numina  
 Præcipuo colui  
 Honore semper Arcades  
 Interquè Cyrthæ luce solenni accolas ,  
 Vota precesquè, boni ,  
 Audite linguæ supplicis :  
 Liceat reuerti, liceat & pullis simul  
 Tegminibus caput, &  
 Velare corpus perfidum .

AD LEOPOLDVM MEDICEVM,  
 M. DVCLIS HETRVRIAE FRATREM .

*Presentis gaudium, quod percepturus est, cum addetur  
 illi sacra Purpura .*

O D E X .

S At sua fulgentem commendat gloria Phœbum  
 Eoi sine luminis ostro :

L 4

Tu



Tu quoque Tyrrheno regum lustraris honore,  
 Romuleæ nil lucis egenus.  
 At cum puniceum Titan induxit amictum,  
 Ille dies ita gratior orbi  
 Subiecto; nobis ita palla clientibus ardens  
 Augebit, LEOPOLDE, ferenum  
 Vultus dulce tui. Fraternalis surgis ab urna  
 Sic Phœnix optatus in auras,  
 Aut roseus veluti suppresso Castore Pollux.  
 O veniat lux alma, precamur,  
 Lux niuea signanda nota! mox iusta cerebro  
 Ausonii hora Iouis parituro  
 Pallada constabit: vel, si de pectore mittat,  
 Doctum aliquid Tritonidis instar.  
 Nimirum, Princeps, te Musæ vivere talem  
 Haud alio sub Apolline rura  
 Iam novere diu: tu das felicibus esse  
 Vatribus, hi præconia tollunt.  
 Quos ego voce sequar cœli per nubila cygnos  
 Tybridis è ripis minor ales.  
 Quid tum, si minor ales? & est sua gratia picæ:  
 Perpetuo te picæ loquetur.

## GVILIELMO PONDIO.

*Cum Antenoream medicinæ lauream assumpsisset;  
 inde usque ab Urbe gratulatur.*

## O D E XI.

A Vdijt ingentem sonitum Tybris pater, & se  
 Erexit urna turbidus: Quis mihi victor, ait,  
 Rursum fræna parat? quis ouanti iungere ponte  
 Nostrum laborat gurgitem, capta trophæa sequens?  
 Altus iò clamorque virum, clangorque tubarum  
 Iò triumphæ personat; Roma, triumphæ, refert.  
 Dixerat hæc pavitans. Parce, ô Tyberine, moueri  
 Phœbæus excepit Padus; iussa capesso ducis.  
 Ponte